

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3646

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Robert de Sorbon, Paris (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, décembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX] roi de France, donne et concède à Robert de Sorbon, chanoine de Paris et clerc du roi, les maisons qu'il avait affirmées qu'il pouvait et doit avoir à Paris.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 694, p. 147-150.

Texte établi d'après a

Ludovicus Dei gratia, etc. Notum facimus quod magister Robertus de Sorbonio, canonicus Parisiensis, clericus noster, asserens se tenere et possidere Parisius duas domos sitas in vico de Hyrundale supra Secanam sibi ad invicem contiguas ad opus congregationis pauperum magistrorum Parisius in theologia studentium, que fuerunt H. Apprencensis episcopi et quemdam locum qui dicitur Hospitale cum pertinentiis suis qui fuisse dicitur G. de Sancto Quintino sitas in vico, prope refectorium prioris et Fratrum Predicatorum, juxta domum in qua habitant quidam monachi de Sancto Dyonisio, et quamdam domum cum pertinentiis, sitam in Magno vico, que fuisse dicitur dicti G., et primo fuisse dicitur Arnoudi dicti le Macion, que sita est in una parte juxta domum Jacobi de Tornaco, ex alia juxta domum quandam Sancti Stephani des Gres, prope domum dictorum Fratrum, qui quidem locus sive hospitale cum pertinentiis et domus sibi invicem sunt contigua ex quadam parte, asserens etiam idem magister Robertus se habere potestatem plenariam alienandi premissa, domos omnes predictas et dictum locum seu hospitale cum pertinentiis eorum, nobis dedit et concessit a nobis in perpetuum possidenda et ab illis qui causam habebunt a nobis, pro domibus infrascriptis, quas ad opus dictorum magistrorum eidem in escambium et recompensationem dedimus et concessimus, in perpetuum jure hereditario ab eodem possidendas et ab illis qui causam habebunt ab ipso. Hee sunt domus quas eidem, ut dictum est, concessimus : domus nostra que quondam fuit magistri R. de Douaco in qua mansit, dum viveret, defunctus magister Johannes de Sancto Amando quondam clericus noster, sita ante palacium Termarum et eciam omnes domos quas habebamus in vico qui dicitur vicus Lathomorum similiter ante [palatium] Termarum a puteo sito in eodem loco sive a viridario domus nostre quam tenet dilectus et fidelis noster clericus Guillelmus de Carnoto, usque ad domum magistri Guillermi, archidiaconi Abrincensis ecclesie, site in capite ejusdem vici, hoc salvo quod Guillelmus de Belvaco, noster clericus, domum, quam tenet ad presens in eodem loco, et magister Ludovicus phisicus domum similiter, quam tenet inter domos supradictas, habitabunt quamdiu vixerint, sine coactione exeundi vel eciam dimittendi. Post decessum vero eorundem, ad ipsum magistrum R. vel ad ipsos qui causam habebunt ab ipso libere et in perpetuum possidende ad opus predictorum pauperum magistrorum

devolvantur. Concedimus etiam eidem magistro R. et congregacioni predicte pauperum magistrorum, quantum in nobis est, quod omnes predictas domos teneant in manumortua, salvo jure in omnibus alieno. Predictas autem duas domos contiguas, quarum una sita est ante refectorium predictorum Fratrum Predicatorum, juxta domum monachorum Sancti Dyonisii, alia in magno vico juxta domum Fratrum Predicatorum, nobis a predicto magistro R. concessas, quia eas necessarias plurimum esse didicimus Fratribus antedictis, pietatis intuitu et pro remedio anime nostre et antecessorum nostrorum, in puram et perpetuam elemosinam dedimus et concessimus Fratribus Predicatoribus antedictis, ab ipsis et eorum successoribus in perpetuum pacifice possidendas ; quas quidem domos prefatus magister R. promisit se garandizaturum prefatis priori et Fratribus ipsis, ad usus et consuetudines patrie, contra quoscunque et pro ista garandia facienda duas domos predictas illam videlicet quam tenet Guillelmus de Belvaco et illam quam tenet magister Ludovicus predicti, Priori et Fratribus antedictis in contraplegium assignavit, et nos etiam ipsas duas domos dedimus dicto magistro R., hoc modo, quod essent obligate in contraplegium ipsis Priori et Fratribus, pro garandizandis dictis hospitali et domo cum pertinenciis Priori et Fratribus supradictis. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras fecimus sigilli nostri impressione muniri. Actum Parisius, anno Domini M° CC° LX° tercio, mense decembri.